Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1783
Quelle:
Copyright:

animarum medicis hec temperanda committimus. Eadem Formula utitur *Burchardus* ſub finem *Capitis* ſui 8. ſed Patribus nominatis *Bedam* addit. Ceterum Textus noſter ne quidem illius *Caput* 5. exhaurit, et per decurſum etiam Caſibus XV. minus habet. Lectionis varietas non deeſt.

II. *fol.* 17. *Penitencia illius anni qui in pane et aqua ieiunandus eſt. iſto ordine debet ex p. r.* lego *Poenitentiali Romano.* Haec Rubrica orditur C. 9. *Burchardi* quocum Textus noſter procedit usque ad C. 24. edit. *cit. fol.* 204. Ultima nobis ſunt: *afflicta ducit ad ueniam.* Leguntur haec etiam in *Capitulis Theodori Cantuar.* a 1. ad 9. in edit. *Jac. Petiti Pariſ.* 1677. p. 15. 4.

III. *fol.* 20. p. 2. ſequitur alia *Capitulorum* Συλλογη, cujus chorum ducit Interrogatio *Auguſtini Anglor.* Ep. utrum praevia illuſione nocturna communicandum, aut miſſa celebranda ſit, cum Reſponſo *Gregorii* M. quae apud *Burchardum* L. V. c. 42. et 43. conſtituunt. Hanc excipit Locus de eadem materia e L. XII. *Auguſtini in Geneſin ad literam*, qui incipit: *Aliquando ſit queſtio de conſenſionibus ſomniantium* &c. et habetur Edit. *Opp. Maur.* T. III. *cap.* 15. *col.* 307. Tum nullo ordine et nexu Capitula, quorum potiſſima pars vel in *Poenitentiali Rom.* vel apud *Theodorum*, *Reginonem*, *Burchardum* &c. exiſtunt numero facile XX. Atque inter haec eminet Adlocutio Paſtoralis, quae inſcribitur: *Retractatio utilis et adbreuiatio de preceptis canonum*, eisque ſimilis eſt, quas *Baluzius* ad calcem *Reginonis Pariſ.* 1671. edidit, ſed duas Partes habet, quarum prior ad Clerum ita init: *Canonum auctoritatem ſecuti primum quid clericis ſpecialiter. dein omnibus chriſtianis tam laicis. quam clericis communiter precipiatur adbreuiamus. Pueri in clero conſtituti diuinos libros ſummopere diſcite. Docti indoctos gratuito et fideliter. nunc admonendo. nunc ſpiritu lenitatis increpando docete.* &c. Partis alterius initium eſt: *Debetis primum kariſſimi fratres et ſorores in deum patrem et filium eius et ſpiritum ſanctum credere. et trium perſonarum unam et equalem deitatem. et carnis veſtre reſurrectionem confiteri.* &c. In Parte priore inter alia: *ſine uxoribus et concubinis et ceteris inmundiciis vivite. — a ſe ipſis caſtrati miſſam non debent celebrare. Ab aliis autem caſtrati poſſunt deo ſacrificare. — romam et longinqua loca non viſitate.* In altera Parte: *flumina tranſeuntes pro fidelibus in his extinctis deum ſuppliciter obſecrate. — Barbam non radite. — nec unquam pranſi iuramentum niſi pro pace facite. — filios veſtros dominicam orationem et ſymbolum apoſtolorum latine vel vulgariter docete.* Neſcio, an alicubi egregium hoc priſcae Pietatis Monumentum typis evulgatum ſit.

IV. *fol.* 39. alia minutiore, ſed coaeva manu: *Paſſio ſequitur X. Milium martyrum*, hoc ingreſſu: *Paſſio et memoria decem milium mar-*